

res immobiles vendere personis subjectis oneribus realibus, ne talia legata habeant redundare in detrimentum communis respectu dictorum onerum.

Item, quod consentiatur per dictum ordinem, quod ordo verberatorum noviter formatus in Cremolino possit construere facere domum unam in sedimine alias concessa ipsi Ecclesie s. Benedicti per magnificum D. Isnardum Malaspinam.

Nos Magister Antonius Provincialis Lombardie Fratrum ordinis Gloriosae V. M. de Monte Carmelo cum pp. definitores Capituli nostri celebrati in Conventu nostro Cremolini anno Domini 1463. 24. aprilis scilicet in festo s. Georgii, & consentientibus Priore, & Fratribus dicti Conventus presentium tenore suprascripta capitula confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostri Provincialatus officii duximus appendendum a D. 1463. 27. aprilis.

Nos Frater Johannes Sereth Magister Generalis totius antedicti ordinis premissa omnia, & singula rata habentes approbamus, & observari ab omnibus nostri inferioribus auctoritate nostra mandamus. In cujus rei testimonium manuale signum nostrum presentibus manu propria scriptum apposuimus anno 1463. die 11. januarii.

Ego Magister Marcus de Reclusis Astensis Provincialis Provincie Lombardie suprascripta confirmo. In cujus rei fidem signum meum manuale subscripsi.

MCCCCLXXV. col. 416. n. 386. contuli nuper editum exemplar cum Capituli membrana, ex qua & nonnulla corrigenda, aliaque supplenda esse deprehendi col. 417. lin. 2. Turcas ibi & deinceps terminatione masculina Turcos. lin. 9. plurium l. plurima. lin. 16. Romanae l. nostrae & Romanae. lin. 31. quorumcumque l. quarumcumque. lin. 34. personarum l. personatum. lin. 37. militantium l. militarium. lin. 38. Statibus l. tota in Italia. lin. 39. post Fratribus adde nostris. lin. 43. Italiae l. Italia ac. lin. 44. intra l. ultra. lin. 46. Vv. l. de Vv. lin. 47. 40 speciatim l. sperantes. lin. vero 55. post volumus supple addendo quod sequitur: & eidem fraternitati tuae tenore presentium committimus, & mandamus, quatenus integram decimam praedictam exigas juxta aliarum nostrarum litterarum praedictarum tenorem, & continentiam, & quod in executione hujusmodi ac dependentibus, & emergentibus ab eisdem atque connexis per te, vel succollectores, quos ad id duxeris deputandos utaris, & uti valeas omnibus, & singulis facultatibus circa officium 50 collectoriae, & dependentibus ab eodem, hactenus per nos, seu Camera Apostolicam, aut ipsius Camerae generales quomodocumque & qualitercumque concessis. Caterum volumus, quod si quis ex Succollectoribus per te deputandis in exequendo hujusmodi officium fuerit negligens, vel remissus, sive alias inabilis ad ipsum officium exercendum alium surroges idoneum loco sui, quoties videas expedire aliquo non obstante, volentes insuper quod hujusmodi decimae exactio fiat sine alio onere 60 illorum, a quibus hujusmodi decima exigetur, neque aliquis etiam si plura beneficia obtineret ad solvendum pro quitantia si eam habere voluerit

ultra unum Bononenum pro littera, & sigillo cogi possit; tua igitur fraternitas sic impremissis studeat suam diligentiam exercere, quod sperati exinde fructus proveniant, & apud nos, ac Sedem Apostolicam merito valeat commendari, & cum dignam consequatur meritorum retributionem.

MCCCCLXXVII. col. 417. n. 387. Inter finitimos Curtemiliae populares ea adhuc traditio viget Uffoni flumen terminum utriusque Dioeceseos Aquensis & Albensis quondam fuisse, nuncque magna quoque ex parte esse; ac proinde Ecclesiam hanc s. Mariae de Barxeta ( Bruseto, sive vulgari idiomate Brusel ) utpote quae citra Uxonum Aquas versus sita est, potuisse ad Dioecesem Aquensem pertinere. Quae cum ita sint, verisimile sit Ecclesiam Plebanam veterem citra flumem Uxonem ( nam hoc prope muros Curtemiliae suas in Burmidam aquas immergit ) etiamnum collocatam juris fuisse Episcopi Aquensis; quod eo etiam argumento nititur, quod Ecclesia s. Mariae de Barxeta, de qua in hoc documento fit mentio, juris erat Archipresbiteri Curtemiliae, qui nonnulla praedia prope eam Ecclesiam, ut mihi relatum est adhuc possidet. Doleo autem eam Ecclesiam primum derelictam, postmodum dirutam fuisse.

Quoniam hic de Curtemilia mentionem facio, in mentem venit subdere documentum, quod mihi a J. C. Gaetano Carrara ex Tabulario Marchionum de Pruneto datum fuit, ac ad id idem oppidum, sive potius ad Curtemiliae, Perleti, & Turris de Uffone dominos spectat. Quod sic habet.

In nomine Domini amen. Nos Johannes de Felino iudex Revarum communis Astensis, & Rector populi civitatis Astensis, & officiales super regesto dictae civitatis, nec non Johannes Palidus, Galuagninus Guttuarius de castello, Secondinus Garretus, Rogeronus Pelleta, Bozinus Laurencius, Henricus Sbarratus, Secondinus Galamanus, Franciscus Cerratus, Codemonte officialis dicti regesti, & Anthonius de Visso mandato nobis facto per honorandum militem D. Johannem de Bellozo potestatem Ast super executione cujusdam sententiae latae inter sindicum communis Ast ex parte una, & D. Oddonem de Scarampis legum doctorem suo nomine, & nomine Jacobi de Scarampis fratris sui ex parte altera. De quo mandato constat instrumento publico scripto manu Johannis Pelletae publici notarii anno Domini MCCCXLVII. iudicacione XV. die septimo septembris. In quo mandato continetur, ut cancellare debeamus de regesto noviter inchoato in civitate Astensi castra Curtimiliae, Perleti, & turris de Uzono pertinencia ad praedictos D. Oddonem, & Jacobum, & quaecumque bona immobilia, & jura ad ipsos pertinencia in territorio dictorum locorum. Cognito quod tempore praesentis regesti inchoati quod inchoatum fuit tempore regiminis D. Paganini de Bellozo tunc potestatis Ast anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo iudicacione decima super cridis factis pro dicto regestro complendo, ut omnes cives civitatis Astensis consignare deberent ad dictum regestum omnia castra, fortalicias, & bona immobilia ad ipsos pertinencia in territo-